



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LV. S. Ioannes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

corporis mortem mœrere debeant, sed caueant, ne post corporis mortem ad supplicia perueniant.

L V.

S. IOANNES.

A. ccccc-
xxiii.

IOANNES, natione Tuscus, ex patre Constantino, sedit annos 2. menses 8, dies 16. Fuit autem temporibus Theodorici regis, & Iustini Augusti Catholici. Ordinauit autem Episcopos 15. Hic pro religione catholica, & pro Theodorici causa negotii Constantino-polim venit, vbi Iustino Augusto patrocinate Arrianorum Ecclesias Catholicas consecrauit. Hoc audiens Theodoricus, quoniam & ipse erat hæreticus, furore accensus omnem Italiam gladio & igne perdere æstuabat propter Arrianorum Ecclesias, quarum in Italia multæ erant, quas etiam Catholicas vsquequaq; consecrari Ioannes Papa præceperat, & duos viros exules & Catholicos Symmachũ & Boetium ante reditum Papæ tenuit & interfecit. Ipsum autem Pontificem reuersum in custodia Rauennæ detinuit, in qua duriter afflictus tandem defunctus est 15. Kalend. Ianuarii. Sed nonagesimo & octauo die post transitũ prædicti Papæ, & ipse rex hæreticus diuinitatis fulmine percussus subito morte sua Italiã liberauit.

Hic Zachariæ Episcopo epistolam destinauit, in qua eum, de quibusdam consultus, instruxit, inter cætera dicens. *De occultis cordis alieni temerè iudicare iniquum est, & eum cuius opera non videntur nisi bona, peccatum est ex suspitione reprehendere.* Et addit in eadem, quæ sæpe numero dicta sunt, videlicet, quòd oues pastorem accusare, nisi pro fide non debeant, & ipse Episcopus, nec vocari aut iudicari potest, priusquam quæ ablata sint sibi legibus restituantur, & ideò hinc præmittenda existimamus.

L VI.

S. FELIX. IV.

A. ccccc-
xxvi.

FELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos 4. menses 2, dies 12. Hic iussu Theodorici regis ordinatus est, & absq; contentione. Hic ordinauit Episcopos 29. presbyteros 55. diaconos 4. Obiit autem Idibus Octobris Athalarico regnante. Hic autem multis Episcopis per diuersas prouincias constitutis rescripsit, respondens eisdem de Ecclesiarum consecratione, & de Misfarum celebrationibus ita. *Non alibi, quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus nota sunt noui*

*De cons. d. i. c.
sicut no*

K 4

& veteris